

No. 101. 83
1930. 7

**DISSERTATIO HISTORICA
DE
ORIGINE ORDINIS
AVREI VELLERIS**

QVAM
PRAESIDE
IO· GVILIELMO DE BERGER
SAC· CAES· MAI· ET POTENTISS· POLON·
REGIS AC PR· ELECT· SAX· CONSILIARIO
HISTORIOGRAPHO REGIO ELOQ·
PROF· PVBLICO ALVMNORVM
REGIO-ELECT· EPHORO

PRID· IDVS SEXTIL· A R G c I o I o cc XXX

TVEBITVR

M· IO· VVEISIVS

NVMBVRGENSIS

VITEMBERGAE
LITERIS GERDESIANIS

DISSERTATIO HISTORICA
DE
ORIGINE ORDINIS
VAREI AELIENSIS

IO. GALLERIO DE BERGER
SAC. CAESARIA ET HISTORIAS ROMANAS
REESIS AC DE ELOCUTIONE SUEO-CORNICIA
HISTORIOGRAPHIA RECID. PROG.
PRO PAPALIO ALUMNICKUM
REGIO-TITUS FABRI
PUD. IDUS ZEXID. XIX. C. 17. p. 1111
TITULUS

M. IO. AESTIAS
MAGISTERIUS

ALTEMBERGAE
HISTORIS GERMANICIS

DE ORIGINE ORDINIS
AVREI VELLERIS

I

ET si tot illustrum, quibus Equestrīs Europae dignitas floret, Ordinum suum cuique decus constat, meritoque universi ac singuli uirtutis, domi forisque spectatae, cui sua et initia debent et incrementa, laude gloriaque celebrantur, ille tamen, qui Velleris Aurei nomine insignitur, non solum existimationem praecipuam, a maioribus acceptam, inter tot rerum temporumque uicissitudines, constanter obtinuit, sed multis etiam magnisque exemplis amplificauit. Nam, siue conditoris, cuius auspiciis fundatus est, famam, siue successorum, a quibus rectus, magnitudinem, siue sociorum, quorum praecclare factis illustratus, praestantiam spectes, tantis semper decoribus eluxit, ut

A 2

non

non modo uere Heroicus, uere Regius, sed, singulari etiam excelsissimoque elogio, uere Augustus, appelletur. Ac de primordiis quidem Sodalitatis huius, tam eminentis, deinceps exponatur. Principum uero Capitumque Summorum, quorum praesidiis, tutela, atque auspiciis, triumphalis haec Militia semper exsplenduit, quanta sit gloria, dici uix potest, cum ei Principes, Regibus pares, ipsi quoque Reges potentissimi, praefuerint, ipsi denique Imperatores Augusti adhuc eidem praeſint. Postremo de Sodalibus Heroibus, quorum complures Regum Imperatorumque purpura fulserunt, tanto minus dubitandum est, quanto maior horum amplitudo, et in annalibus fastisque, et in uiuorum ac spirantium admiratione, uiget. Paucis multa complexus, Iulius Chifletius, Nullus, inquit, alias Ordo militaris, in orbe Christiano, tot Imperatores Regesque sodales habuit. Horum enim anno Iubilaeo, proxime elapso, numerus erat undeuiginti, illorum omnino septem, praeter Capita ac Supremos Ordinis. Id certum praeterea atque exploratum est, nullum alium, Regios inter Ordines, in Ecclesia Catholica superesse, qui cum eo de antiquitate contendere ausit. Vetustiores quippe Regii desiere omnes, neque est, ut de Pericellide Anglici sermo fiat, quia a Regibus, Catholi-

cae

cae Ecclesiae hostibus, pridem est, cum ferri coepit. Hactenus ille, in Breuiario Historico Ordinis Aurei Velleris, cap. V, p. 13, qui tamen ipse viderit de controuersia, quam Britannis mouet

II

Quanquam igitur tantum Sodalitatis Heroicae fastigium nos, ne ingenio quidem, tam humili, nedum stylo, assequi possumus, nihil tamen obest, quo minus illius memoriam, inter alia saeculi nostri ornamenta, publica priuataque ueneratione prosequamur. Ac multi quidem Ordinem, tam excelsum, memoriae iam dudum prodiderunt, ex his Pontus Heuterus, et Petrus de S. Iuliano, in rebus Burgundicis, Iacobus Marchantius in Flandricis, Aubertus Miraeus in Belgicis, Franciscus Haraeus in Brabantinis, Andreas Fauinus in Nauarraiis, Sigism: Betuleius in Austriis, Philippus Brietus in Annalibus, Ludouicus Gollutius de Republica Sequanorum, Sandoualius in uita Caroli V, Iacobus Cornelius a Marca, Franciscus Belloforestius, Io: Bussierius, Imhofius, usi occasione narrandi. Sed magis ex instituto, scriptores Ordinum Andreas Mendo, Franciscus Sansouinus, Guilielmus de Latre, idem Albertus Miraeus, Franciscus Mennenius, Aluarus Gomecius, Ioannes Baptista Mauritius, Iaco-

A 3 bus

bus Viuarius, alii, nuper Christianus Gryphius,
I. C. Beermannus. Eodem pertinet *lurisprudencia Heroica*, et *Mausoleum Ordinis Aurei Velleris*.
Praestant ceteris duo Chifletii, qui Tabularia
huius Ordinis excusserunt, Ioannes Iacobus, pa-
ter, et Iulius, filius, ille quidem in *Insignibus*
Gentilitiis equitum Ordinis Velleris Aurei, Ant-
uerpiae 150, 150, XXXII, hic in *Breuiario Incliti*
Ordinis Velleris Aurei, Antuerpiae 150, 150, LII.
In primis optandum erat Chifletii, patris, *Vestum*
Opus, quod *affectum* dicit Godefridus VVendelinus,
et *Tomis magnis explicatum*, nominatim uero
Historiam Ordinis, breui diuulgandam, quam ta-
men nondum uidimus, Iulius, filius, capite II. Ad-
de eundem VVendelinum, in *Ariete siue Aurei*
Velleris Encomio, Antuerpiae 150, 150, XXXII.
Et si uero hi, pro uirili, suis quisque partibus fun-
gi student, saepe tamen inter se dislentiunt, de
Origine praesertim, quam uarie tradunt. Ita-
que, cum aliis relinquamus illa, quae iusti uo-
luminis instar exigere uideantur, nobis quidem
ad praesentis instituti rationem satis fuerit, So-
dalitatem, longe praestantissimam, a limine
tantum salutari, ac perquisita tantae rei incuna-
bula paucis considerari

III

Iam primum omnium fatis constat, Aurei
Vel-

Velleris Ordinem et auspicium suum et nomen ab instituto Philippi III cepisse, quem, Burgundiae Ducem, singularis bonitas comitatisque amore ciuium, hic autem Boni cognomento, ad memoriam posteritatis insignem fecit. Talis enim princeps Sodalitati, afflictis religionis hominumque rebus laniendae, nisi, prospero reipublicae fato, obtigisset, quaerendus fuisset ac legendus, qui, coniunctis Belgii opibus, cum Regias adaequaret, nulla tamen impotentis animi libidine elatus, quam fortem hostibus armatis, tam mitem uictis his ac supplicibus, tam clementem ciuibus, se praebaret, haud aliter, quam prisci nobis Heroes atque summi narrantur. ¹ Philippus autem rem, diu multumque deliberatam, ut scribit Pontus Heuterus, tandem Brugis Flandorum, illo ipso die, quo duxit in matrimonium Isabellam, Ioannis I, Lusitaniae Regis, filiam, perfecit, et, informata Ordinis formula, rituque creandi equites confirmata, nuptiarum splendorem auxit. ² Huic enim rei fidem faciunt ipsae Philosophiae tabulae, quae apud Pontum Heuterum, Franciscum Haraeum, Aubertum Miraeum, in Latinum conuerse, sed non uno interpretandi genere, extant, a Godefrido autem Guilielmo Leibnitio Gallica, siue, si malis, Burgundia pro

gundica, lingua, in *Mantissa codicis Iuris Gentium diplomatici*, pag. 19, eduntur. Equites ipsos XXIII, Brugis creatos, u. apud Io. Iac Chisletum in *Insign. Gentil.* pag. 3

III

Itaque, memoria lapsus, Andreas Mendo, alibi, quam Brugis, Collegii huius Equestris ortum quaerit, obscuratoque loco, ipsi rei caliginem inducit. Locum, sed alienissimum, demonstrat Io. Serranus, qui, nescio quos secutus auctores, somnians certe, Sodalitatem Velleris Aurei Lutetiae Parisiorum a Philippo constitutam esse, pronuntiat, *Inventarii generalis* p. 301. Hoc quidem loco idem, infelici admodum arguti ingenii, (*bel Esprit*) quo Francogalli tantopere gloriantur, experimento, Philippum, ostendit, sibi ipsi haud secus placuisse, ac si iam ceperit hortos Hesperidum, uelut alter Iason. At, nisi uehementer fallimur, hortos Hesperidum, non in Colchis collocant poetae, sed in aliis locis remotissimis, et, auctore quidem Virgilio, in Mauritania, ut noua iam sit Mythologia Serrani, Asiam cum Africa confundentis

V

Alius error immigravit in Chronica Io. Carionis, a Philippo et Peucero aucta, quorum libro

bro V, pag. 642. Ioanni, Comiti Niuerensi, postea Duci Burgundiae, Familiae militaris institutio tribuitur, quae, filio eius, Philippo, accepta erat referenda, ut facile constare poterat uel ex ipsis scriptoribus Gallicis, quorum ibidem mentio fit. Ioannem praeterea, patrem, cum filio, Philippo, confundit Martinus Crusius, huiusque inuentum illi assignat, Sueuicorum Annalium Lib. VI, Part. III, p. 326. Videtur autem Crusio appellatio Ordinis sumpta a memoria Colchidis, ubi Vellus Aureum rapuisse Iason traditur, ubi etiam Ioannes ille, Philippi pater, in uinculis fuerat, clade ad Nicopolin accepta, captus. Eadem narrat VVolffgangus Lazius, in Commentariis Genealogiae Austriae, Lib. I p. 147. Vterque igitur, nescio qua ratione deceptus, opinione nominis sui, multos, ut uideo, in errorem induxit. Forsitan errandi caussam dedit Ordo Lupuli, cum Symbolo Germanico, *Ich zuighe, Ego sleo*, ab Ioanne *Intrepido*, Burgundiae Duce, conditus, qui cum consulus est Ordo Velleris Aurei, a Philippo, Ioannis filio, sanctitus, de quorum utroque, et tertio Philippi Audacis, qui Ordo *Bellidis* dicitur, Ioannes Iacobus Chisletius in Lilio Francico, cap. XI

VI

Plus negotii exhibet appellationis caussa, quam alii alio trahunt, plerique uel ad Iasonem, uel ad Gideonem, illum quidem Colchici Velleris spolio, hunc Velleris sacri rore ac siccitate, notum. Qui, Gideonem, Ebraeorum Ducem, Midianitarum uictorem, hic intellectum, uolunt, hi, sacrae, contendunt, historiae, quae Gideonem, una cum trecentis uiris, ad praelium delectis, commemoret, rectius, quam fabulae Colchicae, cum Ordinis instituto conuenire. Prouocant etiam ad aulaea Bruxellensis, quorum textiles picturae ueteres, non profanas imagines, sed sacras, ostendant. In primis uero ad Diploma Sodalitatis ordinatae, quod nesciat Iasonis commentum, cuius etiam sententia narrationi Mythicae repugnet

VII

Sed, saluis aliorum iudiciis, nobis prior sententia Philippi a posteriore uidetur distingueda. Namque Oliuarius Marcanus Philippi sensum, si quis alias, pulchre calluit, in aula Philippi educatus, ad summos etiam honores projectus, et Philippo intima quadam coniunctus familiaritate. Huius sunt literae, manu exaratae, de *apparatu coniuivali* in comitiis Ordinis, quas recitat Julius Chifletius, in *Breviario Historico*

storico huius Ordinis, cap. III. In iis Philippo I, Castellae Regi, Philippi Boni pronepoti, narrat Oliuarius, Philippum primo Iasonis mythologiam, de qua Ouidius Lib. VII Metamorph. secutum fuisse, neque in alio *fundamento innixum*, ab Ordinis deinceps *Cancellario*, Ioanne Germano, priorem sententiam atque exemplar immutatum, qui auctor fuerit Gideonis potius, cuius historia sacris literis prodita sit, quam Iasonis, imitandi

VIII

Non ignoro, in hoc Oliuario Marcano, scriptore Gallico, dispicere Ponto Heutero consilium copiose exponendi coenam Philippi, magnifico uarioque apparatu Insulis instructam, quarum nugarum, ut uocat Heuterus, administrator ipse fuerit Marcanus, *Rerum Burgundicarum Lib. IV, c. XV.* Sed Pontus idem reprehendit hic in Oliuario, quod paullo ante in aliis horum temporum historicis uituperarat, qui *epularum magnificas*, ut ipse loquitur, *nugas splendidaque illas inanitates nimia diligentia describant.* At idem ille, aliis in rebus, auctoritatem Marcani, nobilis uiri, non defugit, cuius annales, perinde, ac Georgii Castellani historiam, alio loco laudat, propterea, quod horum *uterque in Philippi comitatu ministrarit,*

strarit, Lib. IV, cap. XIX. Pari modo Iulius Chifletius ea, quae Marcanus de ueteri Velleris Aurei fabula amplissime tradit, breuius mallet exposita, sed idcirco auctoritatem Marcani fidemque haud repudiat, uerum in huius testimonio, sicut ostendimus, in primis insistit, Cap. III. Etsi igitur Marcanus de mythica Iasonis historia, tanquam in uulgs nota, pauciora poterat afferre, ubi hanc ipsam tam uerbose atque ad nauream, ut loquitur Chifletius, narrat Philippo I, Castellae Regi, ex hoc tamen ipso iudicari potest, id egiſe Marcanum, ut pri-
mum Philippi consilium appellandae Militiae illius pronepoti accuratius explanaret. Putidum enim fuisset, praesertim apud tantum Regem, ab homine tam illustri, tantis rebus domi forisque gerendis adhibito, tanto Philippi ipfius amico, tam multa praedicari de Vellere Iasonis, si non huius, sed Gideonis, Vellus ad Ordinis institutum pertinuisset.

IX

Ioannis Germani consilium Gideonis cum Iasonem commutandi posteri deinceps sunt amplexi, ut Iulius Chifletius addit, in *Breuiario Historico Ordinis Aurei Velleris*, cap. III, Marcano ceteroqui per omnia assensus. Qui quidem, cum ipse Ordinis huius *Cancellarius* esset, sine dubio

dubio cuncta eiusdem scrinia nauiter excusfit.
 Nec uero aliud, quam ex Marcano, Iulioque
 Chifletio, meminimus, nos docet Georgius
 Castellanus, Philippi Boni ab historia, cum ipse,
 Philippum affatus, ab eo, ostendit, re diu mul-
 tumque agitata, Aureum Iasonis Vellus ad ali-
 am maioremque religionem accommodatum
 fuisse

*Mais n° est d' oublie le hault esleuement
 De la TOISON haulte et DIVINE EM-
 PRISE,*

*Que pour confort, ayde et reparement
 De NOSTRE FOY, en long proposement,
 Tu as mis sus, diuulgée et emprise,
 Soubs autre GRAND RELIGION com-
 prise,*

*Touchant HONNEVR, et publique equité.
 Pour estre mieux ENVERS DIEV acquitté*

Ex manuscripto Codice laudat Iulius Chifletius,
 cap. III. Dubito, an Iulum hunc Chifletium
 illustris vir doctrinae, posterisque narrandus,
 Conradus Samuel Schurzfleischius, cum de Or-
 dinis Velleris Aurei scriberet, ad manum ha-
 buerit, quando, non hunc Chifletium, sed hu-

B 3 ius

ius tantum patrem, Ioannem Iacobum, ab eo,
uideo, commemorari. Nihil igitur miremur,
eum, qui cetera docte eleganterque exposue-
rit, consilium Philippi Boni aliter paullo, quam
nos, explicasse, *operum Historico Politicorum*,
P. 848

X

Contra ea, cum Marcano, et Chifletio,
conuenit Godefrido VVendelino, in *Ariete*,
de quo mentionem feci. Tradit enim hic, a
Philippo primum in oculis habitum fuisse Phry-
xum, et Iasonem, celebratamque tot uatum
carminibus iuuentutem Argonautarum, sed,
Dum et mystas, inquit, *Philippus audit, passus est,*
substitui sacram Gideonis bistoriam, in praefatio-
ne. Hic idem in carmine suo, pag. 6

Attalicis qui picta notis aulaea tuetur,
Quae Bruxella atauis seruat abusque suis,
Intextumque uidet Gideonem, bella parantem,
Et gemina ostentans omnia Vellus idem,
Tum, stratagema ducis, collisae fragmina testae,
Nocte repentinae eiaculata faces,
Hoc primum forsan sibi Velleris argumentum
Sumpserit, hoc praeter, nil placuisse, putet.

Vos

Vos gnari, MAGNAM hic habuisse et Iasona
partem,

Et sedisse animis, quam Gedeona, PRIVS.

Hactenus ille, qui, clarus explicans ad oram,
quod poetice dixerat, Mens, inquit, primum
Philippi fuerat, ERVDITISSIMI Principis, IASO-
NEM INSCRIBERE Aureo Velleri, exemplum fa-
cturus Nobilitati suae praestantissimum hunc He-
roem. Ex his, quae non solum ab hoc VVendelino,
Iulioque Chifletio, sed etiam a Marcano et Ge-
orgio Castellano, Philippi aequalibus, de duplice
Philippi consilio accepimus, iudicari potest, ita
quidem, ut prius illud et ceperit ipse Philippus et
retinuerit, posterius autem, reuerentia erga prae-
sulem, admiserit, illud, ipso Diplomate expre-
sum, perulgauerit, hoc, aulaeis intextum, fer-
ruauerit domi. Iacobus Marchantius, utriusque
Velleris rationem a Philippo habitam fuisse,
coniicit quidem, sed duplex consilium, de quo
diximus, perspectum, ut uidetur, non habuit, ne
que adeo utriusque tempora distinxit, Lib. III

XI

Fuit igitur, si VVendelinum audimus, Phi-
lippus Dux eruditissimus, nec doctrinam huic
adimit Pontus Heuterus, quanquam, eum, o-
stendit, pueritiam atque adolescentiam, pro-
pter externa domesticaque bella, plus in armis,

quam

quam disciplinarum studiis, triuissle, *rerum Bur-*
gundicarum Lib. IV. cap. I. Namque id agit haud
obscure, ut indicet, quanta Philippus, pro sum-
ma ingenii facultate et mirifico literarum amo-
re, doctrinae liberalis laude armorum gloriam
cumulare potuerit, nisi bellandi cura distractus
fuisse. Itaque, eum, demonstrat, cum erudi-
tis in primis uersari uoluissle, et bonis artibus, in
ipsa Aula sua, quasi Museum quoddam, sicut
de Maximiliani II Aula praedicat Iustus Lipsius,
instruxisse, ac doctis, inter purpuratos suos,
principatum detulisse, qui plus ingenia, ac PRO-
BAM ERVDITIONEM, quam natalia, amauerit,
unde etiam complures, exiguae conditionis homines,
eo regnante, ad summas opes dignitatesque perue-
nerint, *Lib. IV. cap. XIX.* Cum igitur ars non habe-
at osorem, nisi ignorantem, uel ex his Philippi
moribus factisque colligi potest, tanto melius
ab eo perspectam fuisse vim facultatemque eru-
ditionis, quanto magis hanc in oculis tulerit, ac
dignitatibus praecipuis ornarit

XII

Qua re ab hoc Philippi studio animoque,
liberali doctrinae dedito, minime alienum est
primum eiusdem consilium, ex illorum prae-
fertim iudicio temporum si pendatur. Hac
enim aetate, qua literae, nuper in Italia instau-
ratae,

ratae , dignitatem suam recuperabant , tanti aestimata est poesis, ut, quo quisque studiosius in poetarum monimentis uerfatus esset, hoc eruditior idem putaretur. Nec uero alii tantum re poetica delectari solebant, sed ipsi etiam Principes, Reges, et Imperatores, a quibus magnus honos poetis habebatur. Dicat pro multis, qui multorum instar est, Franciscus Petrarcha, Regum studio expetitus, in primis a Roberto, Siciliae rege, adamatus, adeo quidem, ut hic poema, de Africa compositum, sibi uellet inscribi, teste ipso Petrarcha in uita sua, et Iohannes Boccacio in *Genealogia Deorum, Lib. XV, cap. XIII.* Hic idem Boccarius, ab Hugone, Hierosolymorum et Siciliae Rege, per legatum rogatus, ut illam, de qua diximus, Genealogiam Deorum commentitiorum, et stirpis, ex iis secundum poetas ductae, ueterumque sententias, his inuolutas integumentis , explanaret , opus amplum, quinque et decem libris digestum , ad ipsum Hugonem, regem, scripsit. Ex hoc profecerunt omnes, quotquot in Mythicis postea uerfati sunt, ipse etiam Lilius Gregorius Gyraldus, quibus Boccarius interpretandi uiam monstrauit. Hac etiam enarratione Boccatiana cupide usi sunt illustres uiri, quod isti ueterum Dii credebantur heroes, prisca superstitione culti, eorumque

C

rumque

rumque res gestae, quae fabulis abstrusae late-
rent, contemplatione dignae uidebantur. Cum
igitur hoc Boccatii opus hortatu regio confe-
ctum esset, cum idem uetus ae uirtutis heroi-
cae exempla prodere putaretur, et nihil tamen
aliud, quam fabulas ueterum, enarraret, tam
insigni certe argumento constare potest, rei
mythicae studium nihilo minus Regibus ac Prin-
cipibus, quam doctis, se probasse. Proprio-
rum interpres temporum sit, qui uixit sub Fri-
derico III Imperatore, Philippus Beroaldus.
Hic inter alios, qui de laude poetices praedi-
carunt, singulari oratione pro eadem re nititur,
atque, ut amorem rei poeticæ Principibus ac
Regibus dignum declareret, *Hinc est*, inquit, *quod Poetae antiquitus in maxima ueneratione, maximo que prelio, habebantur, quod a Principibus fouebantur, quod a Regibus ditabantur.* *Vnde non minus uere, quam diserte, cecinit Naso, Cura Ducum fuerant olim Regumque Poetae.* Similiter poesin
laudat Aeneas Sylvius, eiusque doctrinam, pro-
fanis ueterum literis mandatam, Christianum
haud dedecere, contendit, Epist. CCCCXVII.
Poesin quoque iuris scientiae praefert, et, asserta
illius dignitate, *Apud Italos, inquit, florent huiusmodi facultates, nec erubescunt, se audire, et nosse, poetriam, Epist. CXI.* Hic est autem ille Syl-
lius,

uius , alio Pii II , Pontificis , nomine notus ,
cuius plures ad Philippum Bonum epistolae ex-
tant , cum multa huius laude coniunctae . Vn-
de colligi posset , Italorum de re poetica atque
mythica iudicium , neque ignotum , neque ingra-
tum , fuisse Philippo , harum quidem literarum
haud experti , neque adeo huic , liberalis p-
raefertim amoenique , uti narratur , ingenii , displicere
potuisse , quod aliis tantopere arriserit , et pri-
sciae memoriae , Principibus , et recentioris . Phi-
lippum quidem hunc studio rei poeticae oble-
ctatum fuisse , ipsa iam aulae Burgundicae
exempla confirmant . Namque , in conuiuis
eius apparatissimis , in aliis etiam Purpuratorum
lautissimis , quibus excipiebatur Philippus at-
que colebatur , uersus recitari solebant , ut ac-
cepimus a Ponto Heutero , *Rerum Burgund. Lib.*
IV , cap. XV. Itaque Burgundus hic in Aula
sua poetas aluit , uti Georgium Castellanum il-
lum , de quo meminimus , historiae simul scri-
bendae adhibitum , cuius uersus protulit Jul-
Chisletius , *Breuiar. Histor. Cap. II. et III.* Quid ni
uero indoli , tam liberali , tam alta spectanti , pla-
cuerit poesis , heroum p-aeconio dedita , quidni ,
in poesi , fabulae heroicae , quidni , in his , quod
commendandae , atque aemulandae , heroum
uirtuti a ueteribus , sicut ostendimus , excogi-
tatum

tatum. Quanquam enim ea, quae de Iasonis expeditione relata leguntur, alii historice, alii chemice, exponunt, graues tamen caussas habent alii, qua re haec eadem ad uitiae morumque disciplinam referant, idque conuenienter instituto poetarum, quod in docendo positum esse, Strabo atque Eustathius monent. Iasonis enim, ac Velleris Aurei, tegumentis ipsam virtutem, cum immortali gloria coniunctam, abdi, praeter Natalem Comitem, et alios, hoc pulchrius, quo ueterum sententiae congruentius, pronuntiat, priscae uir doctrinae, Marcus Antonius Muretus, uolum. I. oratione II. Plane Iasonis memoria Philippum Burgundum commouisse sic uidetur, uti, acres fortesque uiros, Argonautarum cogitatione, moueri atque incendi, putat Georgius Sabinus. Hic enim, disciplinae, e ueterum recessu eruenda, cupidus, ubi expeditionem, in Colchos suscepitam, quam narrat Ouidius, explanat, *Argonautarum*, inquit, *expeditio in Colchos admonet generosos animos, ut ad gloriam excitentur, eamque, magnis et illustribus rebus gerendis, quaerant.* Hinc Valerius Flaccus eleganter, in suis *Argonauticis*, singit ipsam gloriam Phoſidis in ripa ſtantem, iuuenesque uocantem. Haec Sabinus, ubi ſimil id, quod res est, exemplo Ordinis, fama incluti, ſcienter illustrat. Sed, correcto, quem

quem supra in aliis emendauiimus, errore, pro Carolo legendus est Philippus. Ferunt, inquit, Carolum, (rectius Philippum) Ducem Burgundiae, mirifice delectatum fuisse Iasonis fabula, eiusque exemplo incensum, flagrasse cupiditate maximarum rerum gerendarum, ideoque instituisse Societatem, cuius symbolum esset Aureum Vellus. Quae societas inter Carolum V, Imperatorem, et Principes, heroica virtute praestantes, adhuc seruat. Hactenus ille

XIII

Occurrit autem nobis ab iis, qui, a Philippo longe aliud, longeque melius, quam nobis uideatur, expectandum, putent. Negant enim, Christianum Principem, praesertim tam BONVM, decuisse inuentionem hanc profanam. Instituto enim Sacrae Militiae, tam religiosae, aiunt, Gideonis, Deo probati, potius aemulationem, quam commentitium Iasonis simulacrum, respondere. Sed his Iulius Chifletius iam dudum respondit. Verum non idcirco damnandus, inquit, Philippus ob adscitum a se prius illud Iasonis argumentum. Etenim, qui Sodalitiorum quorundam nomina, a Principibus institutorum, non ignorauerint, hanc Aurei Velleris appellationem minime mirabuntur, praesertim, si de Sodalito Nauis in Sicilia, Elephanti in Dania,

C 3

Dra-

Draconis in Hungaria, Stultorum denique in Clivua, qui tamen Sapientes et nobilissimi Proceres erant, quidpiam legerint, uel audiuerint, in Breu. cap. III. Iam pridem etiam, paullo ante ipsa Philippi tempora, interrogantibus, An Christianis conueniat, Gentiles fabulas tractare, responsum est a Bozcatio, lib. XV, cap. IX. Obicitur etiam Peristroma antiqui operis Bruxellense. Sed hoc idem ad posterius Philippi consilium, quod antistes Cabilonensis dederat, referendum esse, iam supra demonstratum est. Ipse quidem Franciscus Haraeus, eadem aulaea Philippi Boni esse, ostendit, quae sua adhuc memoria soleant Bruxellis, ad diuae Gudilae, suspendi. Sed, quod, ex sacris horum imaginibus, ortum Sodalitatis et appellationem potius, quam ex Iasonis expeditione, repetendam, putat, in eo consilium Philippi posterius cum priori confundit. Hoc idem usu uenit Francisco Mennenio, qui Peristroma Bruxellense ad Philippum quidem refert auctorem, sed ex illius textura securius conciit de prima Philippi mente. Nec uero, si quis urgeat, obstat Diploma Philippi, quod Insulis Flandrorum, biennio demum, quam coepitus erat Ordo, datum fuisse atque promulgatum, tradit Franciscus Haraeus, et ipsae haec Tabulae confirmant. Nulla, fateor, hic mentio

tio Iasonis, sed ne Gideonis quidem, nec uel-lus roscidum, ac siccum, nominatur, quale Gi-deonis erat, sed VELLVS AVREVVM, *Que uoul-lons eſtre appelle l' Ordre de la TOISON D' OR*, ut ipſe Philippus pronuntiat, lingua adhuc inculta. Ex ea re alii, qui pro uellere Gideonis ni-tuntur, fluctuare uidentur. In his ille, quem modo diximus, Mennenius, qui, probato pri-mum Gideonis exemplo, quod aemulatus sit Philippus, deinde, incertus animi, in conie-cturis pluribus eundem quoque Philippum po-nit, exemplo Iasonis, Argonautas legentem, uti cum his, in Syriam euntibus, haud aliter in Turcos proficiscatur, ac Iason contenterit ad Colchos, Velleris auferendi cauſsa. Qua re, etſi Philippus ſententiae, consilio Praefulſis Cabilonensis com-mendatae, ſignificationem dat in aulaeis Bru-xellenſibus, in ipſo tamen Diplomate Iasonis potius, quam Gideonis, Vellus designauit, quando AVREVVM dixit, propterea, quod haec appellatio in prius illud, non in posterius, qua-drat. Sacrum enim potius, quam aureum, erat uocandum, ab indiciis omnibusque coeleſtibus, quae hic ſiebant. De aurea Burgundiae fe-cunditate quod afferunt, id quidem, ualde du-bium eſt, an cogitauerit Philippus, ſed ex iis, quae explicauimus, multo exploratiuſ, ei
princi-

principio Velleris Aurei in mentem uenisse. Sanctiores quidem sunt instituti caussae, quam ab Iasone ut petantur, atque haec in ipso Diplomate exponuntur. Hae tamen illae sunt ipsae, quas initio Philippus mente agitabat, quibus etiam ad Sodalitatem condendam adducebatur, neque eo secius, sapientia ueterum motus, a Vellere Iasonis Aureo, sicut ostendimus, Ordinem suum appellari, uolebat. Immo uero diuinioribus his cauissis praefructitur a Philippo Magnus et perfectus amor erga nobilem statum, et ordinem dignitatis equestris, qui ardenti studio, et singulari affectu, sit augendus. Et iisdem postea subiicitur excitatio uirtutum et bonorum morum, ut uirtutis heroicae, et adamatae et cienda, studium, quod respicit Philippus, hic declaretur. His igitur praefultis in unumque collatis, ne priorem quidem sententiam suam, in Diplomate edito, mutasse uidetur Philippus, praesertim non temere arreptam, sed, ut diximus, diu consideratam, ut emendatione iudicii, tam maturi, nihil opus esset. Hanc enim Philippi prudentiam commemorat Iacobus Philippus, Bergomas, ut nihil magnae rei, nisi cogitatum diu ponderatumque, susciperet, hanc animi constantiam, ut, quod, circumspecto probatum consilio, semel statueret, ab eo se dimoueri

haud pateretur. *Alti*, inquit, *animi Princeps extitit, et, antequam aliquod magnum decerne-ret, id diu meditari ac deliberare consueuerat, de-inde decretum, semel factum, inconcussum seruare, imo PENES SENTENTIAM SVAM solidus et IN-CONCVSSVS MANEBAT, tanquam ANNOSA QVER-cvs borealibus frustra concutitur uentis.* Chron. lib. XV. Hoc tamen antistiti Cabilonensi dedisse uidetur, ut sententia posterior, ab hoc de Gi-deone suggesta, per istromati intexeretur. Aureum igitur Vellus, de quo commemoratur in Diplomate, ex priore Philippi mente, intuens, Albertus Miraeus, eoque literis maiusculis ab reliquo contextu distinguens, Iasonis, Argonautae, mentionem hic fieri, praedicat, nimirum μετωνυμίος, sumendo signum pro re signata, de *Origin. Equestrium Ordin. Lib. II. cap. I.* Pari modo Pontus Heuterus Tabulas Philippi, Gallico, siue, quod alii malunt, Burgundico, sermone conscriptas, explicatus interpretatur, inferto Iasonis, Argonautae, nomine, ut plenius exprimat sententiam, quo ipsum spectasse Philip-pum, non temere, ut opinamur, putat. Etsi uero hac de re iam supra expositum est, hoc primum tamen Philippi consilium, quod sub tessera Colchici Velleris opem, Orienti ferendam, respexit, ipsum praeterea auxilium con-D firmat,

firmat, aduersus Barbaros in Orientem misum, de quo Guilielmus Filatrius, apud Iulium Chifletium, *cap. II.* Hoc idem planius facit Conuiuum Insulense, in quo Philippus uotum expeditionis sacrae, in Turcos suscipienda, A. d^o CCCCLIII, suscepit, idque coram Phasiano, aue peregrina, in cuius etiam aus nomen uotum ipsum concepit, quod literis mandauit Pontus Heuterus, *lib. IV, cap. XV.* Erat enim, teste eodem Heutero, in more positum, ut in conuiuis, singulari apparatu instruictis, aus nobilis uiua uiris principibus apponetur, eaque praesente, res honestae ac generosae promitterentur. Itaque Philippus non solum Deo, sed, conceptis uerbis, ipsi quoque Phasiano promittit, se moturum in Barbaros, ab iisque religionem, in Oriente oppressam, defensurum. Phasianus autem ille Phasin, Colchorum fluuium, designabat, a quo Phasiani dicti, quod hi loci magnam eorum copiam feront, unde ab Argonautis in Graeciam putantur aduecti, ut Iulius Chifletius exponit, *Breuiar. Histor. cap. III.* Gentes etiam illae, quae Phasin fl. adiacent, ab Andrea, Apostolo, sacris Christianis quondam ferebantur institutae, sed, armis Barbarorum nuper subactae, feruitatis iugo premebantur. Qua re, in conuiuio

uiuio Philippi, nobilis loci homo personatus
sordidatiusque in medium proibat, qui, suscep-
pta *Eccleſiae* in Oriente disturbatae persona,
omnem Regiam gemitu planctuque commo-
uere parabat, ut Sodales in primis Aurei Vel-
leris, ipsa huius Velleris appellatione permo-
tos, studio succurrenti miseris inflammaret. Ex
quo intelligi potest, cum alios, qui Philippo
coniuianti affuerint, Ordinis, a Colchica pel-
le nominati, cauſam memoria tenuifle, adeo
quidem, ut hi, Philippum, conspectu Phasiani,
ad ducendum in Orientem impelli posse, cre-
diderint, tum uero ipsum Philippum tanto fa-
cilius ea re commotum fuisse, quanto magis
animo pertractatam habuerit rationem Ordi-
nis, a Vellere Iasonis aureo dicendi. Cete-
rum, quam literis ueterum trita, tam in uulgu
nota, est Argonauticae nauigationis narratio,
ex Diodoro quidem Siculo, Orpheo, qui uulgo
fertur, Apollonio Rhodio, huius imitatore, Val-
Flacco, Apollodoro, et aliis, qui Mythica tradunt

XIV

Sed nihil opus erit, auream pellem e Col-
chis arcessere, si uerum est, quod alii perhi-
bent, eius exemplum in ipso Christianorum uet-
erum usu reperiri. Video enim, a Francisco
Mennenio illorum mentionem iniici, qui, *Xpu-*

D 2

σο-

σόμαλλον, siue Aurei Velleris insigne, a sacra Thebaea legione adhibitum fuisse, contendant. Intelligo simul, auctorem hius sententiae perhiberi Arnoldum Mermannium, qui *Theatrum conuersionis Gentium* scripsit. Quem quidem Mermannii locum in eius libro non reperio, qui extat in *Chronico Chronicorum Ecclesiastico Politico* Ioannis Gualterii, siue Iani Gruteri, p. 86. Quod si quid huius dictum est a Mermannio, id quidem, arbitror, nihilo uerius referri, quam uulgo, ex Eucherio Lugdunensi, ipsum legionis Thebaeae, a Maximiano ob religionem Christianam, ut fertur, deletae, fatum, de quo Frider. Spanhemius, *ad saec. III, p. m. 326*

XV

Maius quiddam, ac mirabile, in aurem dicitur a, nescio, quo, Comiti d' Aunoy, quae, requisita Ordinis Burgundici origine, Vellus Aureum, resciscit, coelo delapsum, atque a Genio ad hominem quendam agrestem, sed sanctum, fuisse delatum, ut, fatali hoc signo, Christiani ad Mauros, Hispania exigendos subigendos, que, incitarentur, re deinceps bene gesta, Philippum Bonum Militiae, consimili tessera condenda, occasionem cepisse. Sed, cum fides hic penes auctorem sit, nec huius quicquam, ab aliis

aliis relatum, legamus, hanc quidem narratiunculam, uti plures huius libelli, in fabulis Milesiis reponendam, putamus.

Sunt, Auberto Miraeo teste, quibus Vellus Aureum designare uideatur Lapidem Philosophorum, cuius elaborandi artem, opinantur,

Philippum, Principem aetatis suae opulentissimum ac potentissimum, ab ingenioso quodam homine accepisse. Evidem haud infitior, mysterium quoddam Chemicum, in commemoratione Velleris Aurei, a ueterum quibusdam quaesitum fuisse, ut constat ex Charace apud Eustathium, Dionysii Periegetae Scholiaстen, et Suida. Ac Suidae quidem si fidem habemus, non fuit Vellus hoc, quale ferunt fabulae, sed liber, in membranis scriptus, docens rationem auri, arte Chemicā conficiendi, ab eaque re Vellus aureum prisci librum istum merito dixerunt. *w. δέρας.* Compara Gyraldum, in *Variis Criticis, Dialog. VIII.* p. 878, 879. Sed illa, quae de Philippo narrantur, tantum in suspicioне, nescio qua, coniecturaque posita sunt, tantoque incertiora, quanto minus in sapientiam Boni, tantoperē domi forisque celebratam, conuenire uidēantur. Haec enim ars, fortunas opibus locupletandi, hoc magis ac rectius intui-

D 3

fa

sa sapientibus esse solet, quo tristiorum sui memoriam cultoribus suis, fallacissimum χρυσόποιας opificium atque arcanum expertis, relinquere consuevit. Arcanum uere arcanum, quod, exhaustis dissipatisque auarorum opibus, in conspectum nihil illarum profert diuiniarum, quas promittit. Labefactatis igitur hominum fortunis, hanc, nec immerito, a prudenteribus iniit gratiam, ut, non tam lapis philosophorum dicatur, quam Labes. Alios longeque certiores thesauros habuit Philippus, totius Belgii, in unum conflati corpus, potitus, adeo quidem, ut, potentia cum florissantissimis Regibus exaequata, Imperii Belgici conditor a pluribus diceretur

XVII

Satius igitur putant alii, per Vellus Aureum intelligi auream regionis secunditatem, ac lanae copiam, cum Burgundiae ac Belgii facultates duabus his rebus in primis augeantur. Ex his Petrus Frizon, Ordinem, proponit, a Philippo institutum fuisse, *in signum*, ut loquitur, *fertilitatis prouinciarum*, quibus ipse imperauerit, *Galliae Purpuratae lib. IV, pag. 527.* Ac fuerunt quidem, qui Vellus Iasonis Aureum de terris, ouium secundis, opibusque ex lana conficiendis, explicarent. Vsu enim Numi

Numi nondum inuento aut frequentato, diuitiae ex ouium pecorisque gregibus aestimabantur. Ouium etiam lana multas hominum uitiae commoditates affert, ac multas adeo magnasque opes. Qua re pellis aurea fuerit quasi aurum, aut instar auri, ex ouium fructibus confecti. Subseruam huic caussae, atque ad dam, per Mala Aurea, quibus fulgere narrantur horti Hesperidum, oues intelligi a Varrone, quas in Graeciam traiecerit Hercules, ex Afris exportatas. Graeci enim μῆλον ouem ac pomum, peraeque, dicunt. At, qui Iasonis uirtutem, tot ueterum libris expositam, tantisque praedicatam laudibus, considerant, hi quidem, maius quiddam atque heroum contentione dignius, quam opum cupiditatem, Iasoni, et expeditionis Argonauticae sociis, propositum fuisse, facile arbitrantur. Itaque, priscae ac reconditae uir doctrinae, Ieremias Hoelzlinus, indagato Argonauticorum Poetarum consilio, ueroque sensu, *Et certe, inquit, conspuenda sit haec Poesis, si auri sacram sitim cieat solam, qua nihil in uita tetrius, aut noxiuam magis. Quocirca tendendum ulterius.* Haec ille, in προλεγομένοις, haud mediocriter eruditis, ad Apollonium Rhodium, qui Hoelzlinus longe alia, longe altiora, de uirtute prudentiaque Iasonis expavit.

ponit. Pari modo, quantum a cupiditate
opum avaritiaque, tantum ab ostentatione, re-
motus ponitur Philippus Bonus. Huic enim
*Raras virtutes tribuit Pontus Heuterus, MO-
DERATIONEM SINE AVARITIA, magnanimi-
tatem sine contemptu, ANIMVM EXCELSVM
SINE SUPERBIA AC FASTV, in eo admiratus,*
Lib. IV, cap. XIX. At Velleris aurei magnifica, in
equestribus insignibus, demonstratione, ostenta-
ri regionum diuitias, satisne deceat modestiam
Philippi, tam insignem. Praesertim, cum Bri-
tanni suae potius Ianae principatum vindicent,
testati etiam, emporio Ianae Anglicae Bru-
gis Flandrorum quondam constituto, quo omni-
um fere gentium concursus sit factus, immen-
sas prope opes ad Belgas redundasse. Hac
mente Guilielmus Cambdenus, *Lanam Angli-
cam, pronuntiat, VERVM fuisse Belgis VELVS
AVREVM, cui inclusus ille militaris Ordo Vel-
leris Aurei suam Originem, et Burgundiae dices
magnas opes, debuerint, in Annalibus, ad an.
CIC LXIII. Quare, et modestiae Philippi,
et prudentiae, et ceterae virtuti excelsae, qua
praeditus fuit ille, magis consentaneum quid
in Aurei Velleris tessera quaerendum, uidetur,
quam fertilitas domestica, et quaestus, ex ea
capiendas. Nullum certe quaestus studium re-
ferunt
boni*

ferunt illi, quibus perspecta fuit mens Philippi. Quod si quid huius dederis, cum unius rei plures possint esse caussae, hoc tamen non alio referas, quam ad secundariam quandam caussam, cum de palmaria hic quaeratur. Iam, quanta modestiae, tanta prudentiae, laude fertur Philippus. At prudentis est, ab inuidia, quae gloriae comes esse solet, sibi cauere, illorum praesertim, qui animo non aequo alienam opulentam intuentur fortunam, eamque, uel singuli, uel icto cum aliis foedere, labefactare possunt. Haud igitur existimandum, uidetur, Philippum, uenditato in Ordinis sui insignibus Aureo Vellere, magnificum sui suarumque opum ostentatorem esse sic uoluisse, ut, aemulatione aliorum commota, multa sibi grauiaque odia conflaret.

XVIII

His tamen, qui rationem quaestus habent, proprius accedunt alii, qui secunditatis, ex agro Burgundico eliciendae, mysteria ex nomine Iasonis exsculpunt. Ex his Petrus de Sancto Iuliano, ex cortice nucleus, ingeniose, opinatur, excludi, si quinque literae, ex quibus nomen hoc, *Iason*, conflatur, ad totidem menses, iis indicatos literis, redigantur. Enucleat igitur ille ex primo nominis istius elemento Iulium,

E

lium,

lium, ex secundo Augustum, ex tertio Septem-
brem, ex quarto Octobrem, ex quinto Nouem-
brem. Hos enim menses ubertate, iudicat,
ceteris antistare, et alimentis hominum pro-
creandis potissimum seruire. Quasi uero qua-
dripartitae anni tempestates, sapienti Dei con-
silio, non ita sint dispositae, ut mutuas sibi
operas tradant, ad praeparandam alendamque
terrae fertilitatem. Quidni, cedo, alii quoque
menses alimenta praebeant, uel hominibus, uel
pecori, cum Maius et Iunius succis pascuorum,
herbarum, florum, abundant, aestu deinde sub-
sequente atque ingrauescente, languescan-
multa atque exarescant, quae paullo ante uiget
bant, plurimumque salubris habebant nutri-
menti. Qua re, ouibus, e quibus lanae alia-
rumque rerum fructus percipiuntur, consulen-
dum si fuerit, iis quidem hi potissimum menses
commodauerint, qui pratorum pascuorumque
ubertate, succois florum atque herbarum co-
piis affluente, praestent. Illa praeterea ratio,
ex lana Burgundica, ipsaque Burgundici agri
feracitate, Vellus Aureum interpretandi, quam
lubrica sit et alte petita, iam explicatum est.
Igitur nihilo plus hic profecerit mysticus iste
mensium delectus, ubi, non de utilitate qua-
dam priuata agitur, sed de gloria, qua et res
Chri-

Christiana defendatur, et heroicum Philippi institutum illustretur. Frustra etiam nucleus in cassa nuce quaeritur; et argutiae quinque literarum auctori suo merito relinquuntur

XIX

Postremo, non tam in extremum locum rei cito, quam, imitati Iulium Chifletium, ne dignum quidem, quod referatur, putamus, putidum malitiosumque commentum Andreae Fauni, auctoris, quam maledici, tam illiberalis atque sordidi, cuius THEATRVM HONORIS infames huius generis ineptiae non possunt non dedecorare. At ipse Fauinus ab se dissentit, quando caussam institutae huius Sodalitatis et appellatae repetit a commodis lanae Flandriæ, in quibus Philippi, Ducis, praecipius pecuniae reditus constituerit, ut ipse tradit in *Historia Nauarrae*, Lib. X. Quam quidem sententiam, si non accuratissimam, at multo certe priore ista honestiorem, cum scurrili illa commutare si uoluit Fauinus, eius quidem consilii reddenda fuisse ratio haud leuis, cuius cum nihil afferat iste, parum grauiter, in re grauissima, fecisse, censendus est. Neque eo secundus hominis procacis leuitatem secuti sunt Paullus Colomesius, et, qui huius auctoritate,

in Dictionario historico-critico, Vol. I, p. 633,
E 2 uti-

utitur, Petrus Baelius, et ipse, ut uidetur, Isaacus Vossius, qui eius rei testimonium Colomelio, e Chronicis Flandricis, laudauit quidem, sed, ubi tandem reperiendus sit hic Chronicorum liber, non indicauit. Fabulam igitur Fauinianam, cum uulgo, recitat Amelotius, *ad II Annalem Taciti*, p. 264, quem tamen hic, non ex opinione narratoris futilis pendere, sed rei momenta ponderare, atque adeo tam Regum Hispaniae, quam ipsorum Imperatorum, gloriae parcere, pro prudentia sua, aliis rebus cognita, oportuisset. Nam Regibus, atque Imperatoribus, dedecori fuerint insignia Sodalitatis, qua putat Amelotius ratione, coptae, cuius, e contrario, Ordinis tam gloriosum fuit institutum. Rursus in medium prodeat ille, quem supra collaudauimus, Oliuarius Marcanus, Philippi Boni amicus, et, quid hic animi suo fuerit hero, ex intimo huius sensu, quem ignorare non potuit, edat. Testatus autem est, *Singularem Philippi scopum fuisse REM DIVM ET AVXILIVM ECCLESIAE, sanctaeque fidei Christianae*, ut ex Marcani libris profert Julius Chifletius, *in Breu. Histor. Cap. III.* Nec uero Duces modo Francici, uerum ex ipsis etiam Regibus hi, qui gloriae cupiditate in primis flagrabant, illa ordinis ornamenti

ta

ta cupide acceperunt. Ut Duces praeteream,
Franciscus I, tanti animi, tum Franciscus II,
Carolus IX, Reges Francogalliae, in Equiti-
bus Aurei Velleris ab Ioanne Iacobo Chifletio,
commemorantur. Longum est, enarra-
re tot Reges, in hanc Heroum Familiam
cooptatos, Arragoniae quidem, Alphon-
sum V, et Ioannem, Siciliae, Ferdinandum,
Hungariae, Ludouicum, Poloniae, Sigismundum
I, Vladislauum, Ioannem Casimirum,
Michaelem, Poloniae et Sueciae, Sigismundum
III, Portugalliae, Emanuelem, Ioannem III.
Daniae, Christianum II, Angliae, Eduardum
III, Henricum VII, Henricum VIII, Scotiae,
Jacobum V, et alios, ab eodem Chifletio, et
aliis, laudatos. Quanti iam putandum est, non
modo Fridericum IIII, Maximilianum I, Caro-
lum V, Ordinis huius insignia suscepisse, uerum
omnes etiam, qui Carolo quinto succeſſe-
rint, Imperatores. Non potuit igitur So-
dalitas, tantis ornamentiſ cumulata, mira
quadam dignitate, praeter ceteras omnes, non
illustrari. Ipſe praeterea ordo S. Michaelis,
magnae quondam inter Gallos auctoritatis, ex-
emplo illius Burgundici, ab Ludouico XI con-
ditus fertur. Testis huius rei domesticus atque
locuples, Ioannes Bussierius, cum ostendisſet,

E 3

ab

ab rege illo, Ambosiae, equestrem Ordinem nouum sancitum fuisse in honorem Archangeli Michaelis, cui Francia, ut Genio tutelari, praecipuo cultu addicta sit, *Quippe, inquit, animaduertebat sagacissimus Princeps, Anglo et Burgundo, Periscedidem, AVREV Mque ARIETEM, instrumenta aptissima esse, ad socios demerendos atque praemiandos, leui impensa, cui plurimus honor adiunctus sit, parari socios, conseruari, dñe iusta facinoribus maximis praemia.* Igitur, ne eo fructu destitueretur, suum Ordinem condidit. Lib. XIII, p. 24. Ante hunc Iacobus Marchantius, *Postea, inquit, Rex, Ludouicus XI, PHILIPPVM IMITARI, non est designatus, quum ad annum 1469. sanxit Sancti Michaelis Ordinem, torquemque conchyliatum, Fland.* Lib. III. Compara Pontum Heuterum, lib. IV Rerum Burgundicarum, cap. III. Qua re alii prudentiores Galli longe grauius de Sodalitate Burgundica iudicant, in his Mezeraeus, Regis Francici ab historia, primordiis Illustrissimi huius Ordinis, professus, ornata fuisse illa, de quibus diximus, nuptiarum solemnia, huius rectionem ad honorem suum retulisse Reges Hispaniarum, huius splendorem, tam dignitate Sodalium enitere, quam delectu paucorum, ne qua effusi honoris multitudine decus ipsum exolescat, Part. II, uol.

uol. III, pag. 245 edit. Amstelodam. Adde, quod
refert Iulius Chifletius, Ludouicum XI, Fran-
corum Regem, in regnum ab Philippo Bono
restitutum, cum Michaelis Archangeli Sodali-
tatem auspiciaretur, constitutiones Ordinis, ab
eodem Philippo factas, totidem uerbis, siue,
ut loquitur ipse, *ad uerbum, exscripsisse, Cap.*
X, pag. 28. Tanto minus nos moramur impu-
dentiam Iacobi Tollii, explosas iam nugas in
sapientia sua insanienti repetentis, ut hoc pro-
iectae libidinis facto se sapientem uere insanien-
tem testaretur. Ceterum uidetur non nullis
fabulae Fauinianae origo repetenda ex uno illo
atque eodem die, qui, sicut ostendimus, et nu-
ptialis Philippo fuit, et Ordini natalis, ut haud
incommode obseruat eruditissimus Christianus
Gryphius, in concinna Ordinum equestrium
descriptione, p. 257

XX

Ab Ordinis appellatione transeo ad eius in-
stitutionem, quam Diploma Philippi pluribus
docet. Principio caussae uarii generis com-
memorantur; In his, egregia uoluntas in nobil-
ium fortiumque Equitum Ordinem, in digni-
tatem huius atque existimationem, omni ratio-
ne amplificandam, cuius opera, ductu, consi-
lio, Religionis, ac populi Christiani, caussa,
ipsius

ipsius etiam Reipublicae tranquillitas ac felicitas defendi, iuuari, protegi, possit.²⁰ In primis studium honoris diuini, cuius cultu atque amplificatione ipsa Religio Christiana efferatur altius atque illustretur, ipsorum quoque Equitum animi, ad uirtutes, heroibus dignas, et omne moris generosi decus, exsuscitentur. Quae quidem cuncta, quantum Orbi sanctiori consuunt, tantum Philippi sanctitatem, sapientiam, curam, pro bono communi suscep tam, et praeclarum magnificumque animum, qualis sacrae deceat ac laureatae militiae ducem, luculenter declarant. Si quo hic teste opus, ex ipsis quidem Gallis perdoneus est Io' Bussierius, a quo Philippi, *Nullo*, ut ipse loquitur, *naeuo maculatae, uirtutes, religio, probitas, modestia, liberalitas, et REGIA QVAEDAM ANIMI MAGNITUDO*, laudatur, *Histor. Franc. lib. XLI, Cap. IX*

XXI

Cum autem Philippus Bonus uirtutis, in Ordine suo constitutae, studio insignem animi magnitudinem testetur, tum uero hanc ipsam et sustinuit eius potentia et factis probauit, tanta quidem, ut hic *Non minus animo, quam sanguine, clarus, terra marique potens, et maximis Regibus non inferior*, memoretur in *Magno Chronico Belgico*, ad A. C. CCC LII. Facta me-

mo-

moriae prodita sunt, et auxilii, Orienti Christiano allati, quo ipsam Velleris Colchici cogitationem in primis retulimus, documento comprobantur. Hinc Rhodus, insula, subsidio Philippi, reiectis Barbaris, liberata, atque seruata, Pannones nouo quodam exemplo sublevati, res Christiana ingenti sumptu in Oriente a Barbaris defensa. Ut breui praecidam, audiatur, qui ipsis Philippi consiliis operam dedit, Gulielmus Filatrius, antistes Tornacensis. *Verum clarius, inquit, id probat insigne illud, quod exhibuit, studium eidem Fidei tuendae, praefitit auxiliis, quibus Rhodum, insulam, a Saracenorum inuasione liberauit seruauitque, missa e Flandria in Orientem exercitu.* Hungaris item in Turcas auxilio fuit, armatis ad hoc triremibus, quae e Slusano portu soluerunt, et, ad usque mare maius profectae, hoc ipsum, quaqua patet, tracieere. mox Danubium in ipsa Valachia, quam Turcae sub id tempus inuaserant, ingressae sunt, QVO IN LOCO NVNQYAM ANTEA VISVS EVERAT CHRISTIANORVM EXERCITVS. EVENTVS PROPEMODVM EIDEM SVPERAT, quoniam, Oceanum ingredi, opus fuit, praeter nauigare Hispaniam, et inde, Mediterraneo secundum longitudinem emenso, Constantinopolin appellere. Neque id solum, sed insuper aduersus

F

Bospo-

Bosphorum superare, atque inde mare maius, Pontum uidelicet Euxinum ingredi (cuius mille milliarium circuitus est) et ex eo Danubium traxicere, qui illic in eiusdem Valachiae finibus sese in mare exonerat. Ecquis, amabo, Catholicum Principem hunc AD HOSCE SVMPTVS FERENDOS IMPULERAT, PRAETER FIDEI CHRISTIANAE, IN QVA VIXIT, ARDOREM? Hactenus ille, e cuius schedis docemur ab Iulio Chifletio, Breu. Histor. cap. II. Adde testimonium Ladislai, Hungariae ac Poloniae Regis, in *Vita Scanderbeg.* lib. II, Pontum Heuterum, lib. IV, cap. IX, XV, XVIII, Francisc. Haraeum, pag. 420, 425. Taceo cohortationes, quibus Belgas suos, Reges etiam atque Principes, ad succurrendum Christianorum rebus, in Oriente laborantibus, incitare studuit, animumque, Diplomate Ordinis sui explicatum, testatum fecit. Difficile igitur dictu, quanta eum uel fama nominis consecuta fit uel auctoritas, tam in Oriente, quam Occidente, missis ad eum ex Oriente legationibus, quarum orationes supplices Aeneae Syluii epistolis insertae sunt, ac subsidio eius, aduersus Barbaros, efflagitato. Iacobus quidem Philippus, Bergomas, qui uixit his temporibus, *Ad ipsum,* inquit, *Orientales plurimi Reges, Duces, et Principes,*

cipes, ex suis remotissimis partibus, tanquam ad
augustissimum Occidentis Principem, solennes ora-
tores misere, QVOD NVNQVAM LECTVM
AVT AVDITVM CERTE VLLO TEMPORE
EVIT. Videlicet orator David Trapezundarum
Imperatoris, nomine Michael de Alguri, Georgii
Alexandri, magni Persarum regis, Aserimberch
Turcomani, Mesopotamiae regis, non Christiani,
sed Mahumistae, Gorgorae bellicosissimi Georgia-
nae Ducis, et Morati Vauterch, Armeniae mi-
noris Principis. Venit et Ludouicus, Antioche-
nus Patriarcha, cum eisdem oratoribus, in Bur-
gundiam, ad ipsum Philippum, Ducem. Perue-
nerat quippe ad eosdem Reges, et Principes Orien-
tales, fama, ipsum multa PRO FIDE, ET CHRI-
STIANORVM VSTITATE, conari, plurima
clarissima atque SANCTISSIMA fecisse faci-
nora. Haec ille lib. XV, ad A. c. CCC, LXVII.
Missum facio Pontum Heuterum, lib. IIII, cap.
XVII, atque unum addo, hunc Philippum
in Oriente, ab ipsis etiam Afrorum regulis,
Magnum Occidentis Ducem fuisse dictatum. Sic
enim tradit Iac. Marchantius, magna exili-
mationis, qua fuerit apud exteras gentes Philip-
pus, commendator, in lib. III Flandriae, sic,
ex Georgii Castellani commentariis, Pontus
Heuterus, lib. IV, cap. XLIX. Quae uiderit ipse
supolgi

F 2

in

in Regia Philippi, peregrinarum supplicantiumque gentium precibus culti, Georgius Castellanus, uerbis huius docet Iul. Chifletius, *Breuiar. Histor. cap. II.* Philippo Bono promissi contra Barbaros auxiliū religionem iniicere parat Aeneas Sylvius, Epistola CCCXCVI, et fidei, hic solutam neque liberatam, acerbius exprobrat ille, quem nominauit modo, Bergomas, profusus alioqui laudator Philippi. Hunc enim, miro quodam elogio, *Virum super coaeuos Principes, immo et praedecessores omnes, miris extollendam laudibus atque praeconiis, appellat.* At, Philippum, comperimus, nec fidei datae, nec religionis suscepitae, oblitum, classe in Zelandis instructa, decem millia lectorum equitum auxilio misisse Pontifici, sed, quo minus expeditionem, quam ipse sit animo meditatus, suscepit, Gallici belli metu impeditum fuisse, ex eaque re, et, mortuo deinde Pio II, spe classis submissae lapsum, grauiter doluisse. Sic enim certiores nos faciunt Pontus Heuterus, *lib. III Rer. Burgund. cap. XVIII,* et Franciscus Haraeus pag. 425. Statuerat etiam Bonus signa Barbaris, Orientis uictoribus, inferre, comparato ingenti exercitu, cuius sexaginta uiorum millia e suis tantum populis deligeret, ut idem Heuterus scribit, *cap. XIX.* Quo certe, ipsoque

ipsoque Philippi Monimento , confirmatur id,
quod praeclare ab *Auctore Fecialis Europaei*,
meritorum insignium memoria , nihilo minus
inter principes aevi nostri historicos, quam in-
ter Amicos Regum, Illustri, pronuntiatur, Chri-
stianae religionis, aduersus Barbaros, uictoriis
in Oriente elatos , tuendae , ac Nobilitatis ad
expeditiones sacras excitandae, studio a Philip-
po conditum fuisse Ordinem, *P.I*, p. 421

XXII

In eisdem praeterea caussis Ordinis conditi,
praeter uenerationem D· Mariae, honos D· An-
dreae a Philippo numeratur. At huius D· An-
dreae cum , in Diplomate Philippi, et Legibus ,
huic adiectis, mentio saepius fiat, qui, ut dixi-
mus, sacris Colchos imbuisse credebatur, inde
quidem coniiciendum videatur, Philippum non
aliter de Colchico Vellere, quam de Religione,
Barbarorum tyrannide in Oriente liberanda,
cogitasse. Hanc enim curam apud eum excu-
buisse, cum aliunde, tum ex eo intelligi potest,
quod scriptum reliquit Pontus Heuterus. Ait enim,
Philippum moerore animi morbum con-
traxisse, comperto, expeditionem Christiano-
rum, quorum copiae Anconae congregabantur,
ob decepsum Pontificis nec opinatum, omit-
ti, ac suae adeo classi , quam eodem miserat,

F 3

con-

conuerso itinere, reque infecta, domum esse
redeundum. lib. IV, cap. XVIII. Philippus igitur,
saepius Andreeae recordatus, huic, praeter
D· Mariam, Ordinem suum consecrat, huic il-
lud quoque tribuit, ut, cum ante id tempus,
antiquo Burgundionum more, in proeliis con-
serendis, tessera clamoris militaris esset, *Nostre
Dame, Bourgongne*, iam addatur illa, *Mon joye
Saint Andrieu, Meum gaudium Sanctus Andreas.*
Namque, *Ex ardente ad bellum, Turcis infer-
endum, animo, uota sua commisit Apostolo, cui
Ecclesia Graeca, sive Orientalis, plurimum, uelut
fundatori suo, debet, ut sententiam Philippi, in
cogitatione opis, Orienti Christiano feren-
dae, defixi, exponit Iulius Chifletius, Breuiar.
Historici cap. XIII.* Andream sane Patronum
et Ordo coluit et Burgundia, eiusque natalis
ab Sodalitate, in Belgio maxime, summa excipi-
pi anniuersariaque ceremonia consuevit. Haud
secius a Ruthenis idem festus habetur dies. His
enim sancta est tutela D· Andreeae, in Scythis
olim, uti comperit Eusebius, uersati, a Mo-
scis certe in tanto honore habitu, ut a Petro
Alexio ei dicata sit illustris Militia, quae no-
men ab eo cepit, atque ad rem, aduersus Bar-
baros gerendam, in primis spectat. Sed multo
prius in eiusdem D· Andreeae clientelam sece-
dedi-

dedidit alius Scotiae Ordo , perinde , atque ipsa
Scotia , cuius numen tutelare fuit hic An-
dreas , testibus Hectore Boethio , p. 105 , G. Bu-
chanano , lib. VII , et Io. Leslao , lib. IV

XXIII

Diplomati Philippino plures adduntur le-
ges , quibus Ordo amplitudinis eximiae deuin-
citur . Earum quidem sex et sexaginta recitan-
tur in Codice Leibnitiano , sed nonaginta qua-
tuor a Ponto Heutero , *Rer. Burgund. lib. IIII,*
cap. III. Priores illas promulgavit ipse Philippus
Bonus Insulis Flandriae , sed hic idem postea , et
alii , eum secuti , Carolus Audax , Philippus
Pulcher , Carolus V , et Philippus Prudens , suas
quisque accessiones , adiunxerunt , haud inferio-
ris , quam ipsae constitutiones primae , aucto-
ritatis , ut Iul. Chisletius submonet , *Breuiar. His-
tor. cap. XI.* Leges illae Gallica , siue , ob usum
a nobilioribus hic receptum , Burgundica , lin-
gua enuntiantur , in Latinam quoque , primum a
Philippo Nigro , deinde politius aliquanto a
Nicolao Grudio , uersae sunt , in Germanicam
etiam , cuius generis interpretatio extat in Cod.
MS. apud Petrum Lambecium , *Biblioth. Vindo-
bon. lib. II, cap. VIII.* Summa quaedam harum
Legum , sed nulla mutationum mentione fa-
cta , Germanice recitatur , ex Megisero , ab Jo.
Li-

Limnaeo, T. II. Iur. Publ. cap. II. Leges ipsas confirmauit Pontifex, Eugenius IIII, anno c. 10 CCCCXXXIII, et Leo X a. c. 15, 15, XVI. His Legum tabulis numerus sanctitur unius et triginta Equitum, sed in prima Ordinis institutione, Brugis Flandrorum facta, quatuor et uiginti tantum fuerunt, ab Io. lac Chifletio ordine nominati. Philippus enim, conditor Ordinis, pro sapientia sua, arbitratus, effusos honores obsolescere, eam quidem equestris loci dignitatem paucis imper tiendam, duxit. In Diuionensi deinde conuentu, qui tertius fuit, sex electi sunt, ac prioribus adiecti, ut, una cum Philippo Sodalitatis Princepe, unus iam et triginta numerarentur. At, fortuna Philippinae progeniei tot tantisque Regnis aucta, Carolus V, anno millesimo quingen tesimo Sexto decimo, uiginti addidit, eaque re unus et quinquaginta sunt effecti. Mansit ad posteros hic numerus, quem semel tantum, anno c. 15, 15, XXXI, excessit lectio septem Equitum anticipata, ut notat Iulius Chifletius, ex eoque Sigismundus Betuleius, in *Speculo Honoris Austriae*, lib. quarto, cap. VII. Singulari autem cura dignitati Ordinis prospicitur, cum, ipso quidem principio, cauetur, ne quid uel in genere Equitum uel uirtute desideretur, ne quis hic

hic reprehensioni pateat locus. Itaque, Philip-
pum, accepimus, accuratissimos, iussisse, in Bel-
gio Burgundiaque, a fezialibus indices confici,
ut de singulis, quorum dignitati faueretur, me-
lius statui posset

XXIV

Horum Sodalium, tam inclitorum, Caput
Summusque Princeps, *le chef et Souverain*, ipse
Philippus et esse uult et dici, non Magnus Ma-
gister, ut aliqui minus caute loquuntur, in quos
animaduertit Iulius Chisletius, *Breu. Histor. cap.*
VI. Cum his erratur in Bello Famiani Stradae
Belgico, ubi, nota ad oram apposita, *Magnus*
Equitum Aurei Velleris Magister a Carolo crea-
tur Philippus, lib. I. Vbi enim, non quaelibet
uirtus equestris, sed Heroica sola spectatur, ibi
nihil opus est Magisterio, siue praecepto Ma-
gistri, quo regatur. Excellentis animi uis, quae
probatur excellenter factis, uno uirtutis amore
excitatur, tantoque acrioribus stimulis Princi-
pes, Reges, ipsoisque Imperatores, incitat, ut,
quam uideant Heroum Familiam magnis exem-
pli atque inusitatis eminere, ad eam uelint
ascibi. Venerabilis est uirtus, et ueneratio-
nen sui possessoribus conciliat, eorum praefer-
tim, qui plurimum habent uirtutis. Quare,
cum Corporis tam illustris ac gloriosi, quo con-
stat

G

stat Sodalitas Aurei Velleris, uirtus in Capite
Membrisque eniteret, mutua utrinque caritate
fiebat, ut, quanto Membris amore Caput, tan-
ta Capiti reuerentia Membra, deuincirentur.
Fraterna igitur atque amica Societas
dicitur, quae nulla ui legibus, sed sponte ultro-
que, subiiciatur. *Vne fraternité et compai-
gnie amiable, en laquelle se submectent de leur
bon gré et uoulonté les frères et Cheualiers,*
§. LXVI

XXV

At, qui tanta uirtute antecellunt, hos, ipsius
uirtutis, in aliis commouenda, interest, exter-
no quodam decore exornatos, ab aliis interno-
sci. Instituto igitur Philippi Boni, Equites asci-
ti, suo quisque Torque aureo, quem collo ge-
stent, donantur, appensum est Torqui Velleris
Aurei signum, atque haec insignia non manent
in bonis Equitum, sed, his mortuis, traduntur
iis, horum in locum qui sufficiuntur. Illa uero
insignia Arietem paeferunt suspensum, in qui-
bus, iam supra meminimus, primo Philippum
inscribere uoluisse Iasonem ipsum, uti submo-
nuit Godefridus Vendelinus. Ac ueteres qui-
dem, constat, usos fuisse ornamentis Tor-
quium, quae Bullae uocantur. Ex his com-
memoratur a Diodoro Siculo, in libro Bibliothecae
pri-

primo, illud, e lapillis pretiosis confectum, atque ex aurea catena pendens, simulacrum, cui *Veritati*, ex imitatione, ut uidetur, summi Hebracorum sacerdotis, nomen erat, quod princeps Aegyptiorum iudex ex collo suspendere consuevit. Notae sunt etiam militares Aegyptiorum Bullae, scarabaeis insignitae, quarum complures, gemmis Aegyptiorum priscis expressas, afferuat Praesidis Museum. Sed, qua tandem fide hoc idem scarabaeorum signum Romanis quoque militibus tribuat Io Pierius in Hieroglyphicis, uiderit ipse. Ioannes certe Schefferus nihil huius in ueterum monumentis inuestigare potuit, Bullarum alioqui bellicarum solers indagator atque eruditus. Contra ea, noui quid, in appenso Burgundici Ordinis Vellere, uide re sibi uidetur, nihil huiuscmodi, quod quidem uerustae sit et expeditae fidei, antiquorum Romanorum Torquibus adiectum fuisse, arbitratus, sed, more recens inuento, atque ante pauca demum saecula recepto, cruces, fascias, Diuorum imagines, atque alia huius generis, Torquibus accessisse. Haec differit cap. V elegantis, de Antiquorum Torquibus, libelli, qui relatus est in Graeuanum Volumen XII Antiquitatum Romanarum. Ex his uero ornatorum appendicibus, scienter docet Schefferus,

G 2

hodie

bodie eminere *Vellus Aureum*, quod, corrupta Germanorum consuetudine, uulgo usurpetur das *guldne Flüß*, pro *Vellus*. Nempe, ut uidetur, pronuntiatione Gallica, quam Belgica imitatur, per *u Gallicum*. Vnde, celeriter cum Gallis pronuntiando, Vlüss, uti scribendum, sagaciores putant, conuenientius certe origini, abs qua discedendum temere haud erat. Nam Germanicae uocis *Flüß*, cuius scriptura increbuit, nativa significatio, et usus ipse hinc aequem alienus est, ac si inducas in animum, *Flüß* depravate dici ab integro uocabulo, *Flintenstein, silice, Flint, petra focaria, Flintenstein, Feuerstein*. Eae quidem uoces sunt maiorum nostrorum, quas exponit, ex ueteribus *Glossis*, Io. Schilterus, Germanicarum antiquitatum Varro, in *Glossario Teutonico*, pag. 307. At uero, ne dicam, interpretationem illam detortam nimis fore atque duram, ipse certe Philippus Bonus, in Ordinis sui Tabulis, non a Symbolo suo, quo *Silex et Igniarium* signatur, Sodalitatem uoluit appellari, sed, a Vellere Aureo, l' *Ordre de la Thoison d' or*, ut ipse scribit prisce. Quamuis alioqui Torques ipse ex illis symboli notis sit contextus, quibus tamen, pro Tessera Ordinis praecipua, Vellus aureum adiunctum est, quod ideo quoque, uoluit Philippus, ipsi pectori, tan-

tanquam parti corporis honoratori, imminere.
Itaque, praeter Italos, qui l' *Ordine del Tosone d'oro* enuntiant, a *tondendo*, ut docet in Originibus Linguae Italicae Octauius Ferrarius, rectius, quam a *tunio*, ut Aegidius Menagius, praeter Italos, inquam, Galli nostrae memoriae, cum, pari modo, la *Toison d' or*, sermone populari, efferunt, Velleris Aurei notionem retinent, eandemque sententiam retinuerunt Belgae, ipsi etiam Germani, hos imitati. quanquam Latinum uerbum, scriptorum literis, scholarum rudimentis, uulgatoque usu tritum, adhibere maluerunt. Videtur igitur, uel ex ipso hu-
iis uocabuli usu, plurium gentium communi, pro Pelle Colchica, cuius, ad Ordinem trans-
ductae, appellatio quondam notissima fuerit, pronuntiandum. Ad hunc modum, e nostris
qui originem intuentur, Ordinem uocant *den Ritter-Orden des Güldnen Vellus oder den Güldnen Vließ-Orden*, ut, in rebus Austriis, Sigismundus Betuleius, lib. IV, cap. VII. At minus se commendauit aliis appellatio *des Ritter-Ordens des Göldnen Schäpers, oder Göldnen Lämmleins*, qua usus Meigserus

XXVI

Plura bene sapienterque legibus suis consti-
tuit Philippus Bonus atque promulgat, quae

G 3 per-

persequi longum est, neque hic nostrum. Quam uero praeclare haec omnia sint instituta, ipse, unus omnium optime, pro sapientia sua, iudicet pariter ac pronuntiet, Carolus V, Imperator. Hic enim, initio reipublicae deponenda consilio, cum in Hispaniam cogitat, Philippum, filium, Bruxellis, in regio Palatii facello, splendidissimo stipatus comitatu, solemni ritu, Aurei Velleris Ordini praeficit, ac, Torque sibi detracto, humerisque filii, manu quidem sua, non sine profusa lacrymarum ui, imposito, *Accipe, inquit, fili mi, quem e collo meo detraho, tibi praecipuum Aurei Velleris torqueum, quem Philippus, Dux Burgundiae, cognomine Bonus, atanus noster. Monumentum fidei Sacrae Romanae Ecclesiae esse uoluit, et, huicse institutionis, ac legum eius, fac, semper memineris.* Haec Imperatoris maximi uerba, ex Cuperi Annalibus Brabantinis, manu exaratis, depromit Iulius Chisletius, Breuiar. Histor. cap. V. Eadem profert Bernardus Justinianus, in *Historia Militarium et Equestrium Ordinum*, pag. 732. Digna certe erant, quae a Famiano Strada, Belli Belgici scriptore, non omittentur, ubi hic idem eiusdem ceremoniae, tam insignis, mentionem facit, lib. I, pag. 4.

XXVII

Harum uero legum Tabulae datae sunt
Insulis Flandrorum V Cal Decembres , a.
cic, cccc, xxxi, sed ipsa Sodalitas Brugis, ut
in ipso Diplomate dicitur, a eiusdem saeculi
nono et uicesimo, instituta. Aliis autem, anno
seguente tricesimo, ut Ponto Heutero, Aub
Miraeo, Io. If Pontano. Sed stylum nouum
hic distinguit a ueteri Io. Jacobus Chisletius, et,
uetus qualis sit, Pontus Heuterus docet, Diplo
mati Philippino, explicandi caussa, insertis his
uerbis, a 1429 a *Festo Pascha*is numerando.
Francicum enim calculum ponit Philippus, ca
ptis anni primordiis a *Pascha*, more Francorum
ueterum, qui abeunt hic a Romanis, annum so
litis a Calendis Ianuariis auspicari. Illam uero
Francicam numerandi rationem, in Actis ho
rum temporum publicis crebro iniri, palam fa
cit Io. Mabilio, *Rei Diplom lib. II, cap. XXIII,*
n. 6. Quorum denique Principum exemplo
Ordinem suum, legibus fundatum, incepert,
tradunt Pontus Heuterus *Rer. Burgund lib. IIII,*
cap. IIII, et Io. Isacius Pontanus, *Hist. Gelricae*
lib. IX, pag. 452. Apud hunc animi uere Regii
laus, qua Philippus afficitur, illi, quam affert
Heuterus, similis, extat pag. 530. Ex hoc igi
tur Pontano, collato cum Heutero, confuta
tur

tur porro audacia Iac: Philippi, Bergomatis, cuius mentionem fecimus, timorem Philippi senis auaritiamque, ob auxilium Pontifici contra Barbaros non missum, criminantis, cum aliis hunc Bonum laudibus in coelum, ut diximus, extulisset. At excelsum Philippi animum ac magnificum, neque ullis infringi periculis consueisse, neque ad istas fere sordes abiecisse, illi, de quibus meminimus, duumiri confirmant. Ceterum Philippus, A' supra millesimum quadringentesimum septimo et sexagesimo, decepsit Brugis Flandrorum, iisdem in aedibus, ubi Ordinem condiderat, natus annos duos et septuaginta. Brugis primum sepultus, postea Divisionem, ubi Mausolea genti suae excitaerat, transffertur. Cor eius, ipsius morientis iussu, Hierosolyma delatum est, Regum, ut ait Iul: Chifletius, consuetudine, qui conceptum sacrae militiae uotum non implefserent. Sed dubitandum non est, quin hoc ipsum mortui cor ostendat, quid uiuus ille de expeditione sacra cogitarit

XXVIII

Alia iam dici possent de Comitiis Ordinis, quae *Capitula* dicuntur, et *Praecipuum Domus ornamentum*, ac *Domus Triumphus*, teste apud Iulium Chifletium Oliuario Marcano. Alia de scutis

scutis gentiliis Sodalium, primum depictis in
Templis plurium locorum, deinde relatis in
codicem, qui *Liber Regis* vocatur, unde rei
Feciali multum lucis accedit. Alia de cultu
corporis atque ornatu, quo Sodales uti solent,
ac sui splendorem augere. Alia de horum pri-
uilegiis eximiisque iuribus, et pluribus, quae
huc attinere videantur. Alia de quatuor Ordinis
Ministris, *Cancellario*, *Thesaurario*, *Scriba*, siue
Secretario, ac *Feciali*, siue *Rege Armorum*, qui
Vellus Aureum olim dicebatur, de muneribus ho-
rum amplissimis, quidque hic deinceps mutatum
sit. Alia de ipsa Summorum Principum successio-
ne, et serie Equitum, ex Heroum flore delecto-
rum, tam mortuorum, quam uiuorum. Alia de-
nique de aliis rerum, quae huc pertinent, argu-
mentis, illustribus omnino, et cognitione dignis.
Sed hoc, quicquid est et quantumcunque, iam alii,
maxime Julius Chisletius, exposuerunt. Nec
nero id, quod latius patet, breuitatis, a nobis
promissae, modus recipit, neque ipsum fert
propositum, quod eo tantummodo spectauit,
ut, indagata tantae rei Origine, exploratus
quid statuere possemus. Nos, reuerentia, quam
initio professi sumus, ac pietate, ducti, quan-
tum Ordini Augusto CAPVT totius Orbis AV

H

GVSTIS

GVSTISSIMVM gratulamur, tantum precamur, ut
Sanctissimus, Sapientissimus, Inuictissimusque, Imper-
ator, CAROLVS VI, una cum DOMO AVGSTA,
faluus atque incolmis, rerum gestarum gloria,
quae omnes terrarum oras peruagatur, quam
omnis mirabitur posteritas, diu fruatur, ut Imperium,
tanta sapientia, iustitia, fortitudine
animique constantia, rectum, assertum, defensum
uindicatumque, diu Auspiciis Suis prote-
gat, ut Orbi Christiano, cuius Amplificator est
Gloriosissimus, consiliis Suis publice salutari-
bus, et, sicubi opus est, uictricibus armis atque
triumphalibus, tranquillitatem securitatemque
diu praefet, quo, conseruato Europae otio,
pax rerumque quies pariat omne uirtutum gen-
nus atque alat, harumque studio, non solum
opes et copias quasque florentissimas, sed
ipsum etiam uerum *Vellus Aureum*, in recte fac-
torum conscientia situm, Reipublicae afferat,
nihiloque magis hanc efficiat beatam, quam
CAROLINI SACRIQE NOMINIS immortalitatem,
iam pridem partam, nouis constabili-
tae felicitatis publicae, atque opratissi-
mis humano generi, exemplis
illustret

Wittenberg, Diss., 1730. A-K




TA = OK

nur 14. Stck. bisher verknüpft

v17n8

B.I.G.



83
No. 101
1930 9

DISSERTATIO HISTORICA
DE
**ORIGINE ORDINIS
AVREI VELLERIS**

QVAM
PRAESIDE
IO· GVILIELMO DE BERGER
SAC· CAES· MAI· ET POTENTISS· POLON·
REGIS AC PR· ELECT· SAX· CONSILIARIO
HISTORIOGRAPHO REGIO ELOQ·
PROF· PVBLICO ALVMNORVM
REGIO-ELECT· EPHORO

PRID· IDVS SEXTIL· A· R· G· cI· I· cc XXX

TVEBITVR

M· IO· VVEISIVS

NVMBVRGENSIS

VITEMBERGAE
LITERIS GERDESIANIS